

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

(a) P. de Marca de concordia Sacerdot. & Imper. prolegom. p. 20. ait quidem : Concilium Tridentinum constitutionibus regii receptum esse in iis, quæ ad fidem pertinent, & in plerisque etiam disciplinæ capitibus; in ceteris vero articulis recipi posse, imo vero & publicari, quandocumque Regibus constabit nullam esse suspensionem motuum ex eo in regno excitandorum. Ita quidem ille. Sed ubi constitutiones illa quas memorat? producat tabulas placiti regii aut Lutetiani Senatus consultum. Ut credamus. Ceteroquin, si per constitutiones regias intelligit conniventiam Regis seu tacitam tolerantiam, non refragabor. Interea tamen & hoc falsum est, quod in plerisque disciplina capitibus receptum fuerit; si quis enim conferat praxim cum istis capitibus, in multo maxima parte adhuc repugnantiam offendet. Itaque rectius paulo post idem de Marca ait : hoc assertum esse adversus Magistratum regionum opinionem, qui ad libertates regni pertinere putant, ut Concilium Tridentinum nullo casu vel tempore in regno publicetur.

§. XX.

Supra recensui, obstitisse olim Clerum Gallicanum, quo minus libri precum Ecclesiasticarum in Concilio Tridentino recogniti in Gallia introducerentur; Forte incidi in Decretum ea de re factum, quod curioso Lectori hic exhibeo. Habetur illud in libro Gallico : *Preuves des libertés de l' Eglise Gallicane* p. 839. mereturque omnino huc transcribi :

Rationes sacrae Theologiae Parisiensis contra quorundam propositiones, qui breviarium secundum correctionem Concilii Tridentini introducere cupiebant, antiquo usu Breviarii Ecclesiae Parisiensis penitus abrogato :

DEUS opt. max. semper gavisus et usus est varietate, ut patet in ipsa creatione, in qua diversitate delectatus est. Hic enim ejus potens & sapiens providentia patet ex concentu & harmonia rerum diversarum atque contrariarum.

Hoc pugnat cum ratione & cum fide per caritatem operante : nam ratio inferior debet consentire cum ratione aeterna, quæ diversitatem in conditione

tione universi posuit a principio, ut sit concordia discors: ut etiam magis excitetur ad virtutem, cum ejus plura exempla proponuntur: ut DEUS magis laudetur in multitudine & varietate mirabilium ipsius.

Hoc minueret DEI optimi max. gloriam, Sanctorum cultum & Christianorum ædificationem exemplariam.

Hoc valde minuit Episcoporum & dioeceseos auctoritatem.

Qui hoc promovent, non sunt viri simplices & devoti s. Spirituales, sed astuti, politici, qui ex re qualibet, quolibet modo rem suam mundanam conantur facere. Adstitit Regina, a dextris sponsi circumamicta varietate.

Ut omnis novitas est suspecta, ita talis mutatio magna non potest esse sine detrimento magno.

Hoc foveret Cantorum & Ecclesiæ servitorum inobedientiam atque dissolutionem, quum omnium Ecclesiarum unum esset & idem officium.

Quot sumtus necessarii essent? rustici non possent juvare suos curatos in officio agendo: hoc autem est necessarium in pagis.

Spiritus S. fecit loqui magnalia DEI omnibus linguis Act. II. quod est argumentum diversitatis in officio in Ecclesia, ut in universo, & in membris corporis humani cernitur.

Nobis sapientia, prudentia, virtute & donis Sancti Spir. excellentiores fuerunt antiqui sancti Patres, qui justis de causis singulis dioeceseos singula concesserunt & ordinaverunt Breviaria. Miretur Gallia ergo suum Marcellum, dum miratur suum Sylvestrum Roma.

Talis immutatio hæreticos juvaret atque delectaret, quasi in errore aut incertitia fuissent Patres catholici in re tanta. Hoc esset scandalum piis & catholicis, qui hoc pacto possent dubitare de ipsa fide & religione, cujus consuetam professionem ita immutatam cernerent. Quid hoc affert utilitatis?

Reliqui Episcopi habent potestatem politicæ & ordinationis in suis dioeceseos, ut Romanus in sua: hoc autem bona ex parte convellere-
tur.

Ad quid amplexaretur Breviarium Romanum, quod a paucis annis ter-
inmutatum & derelictum vidimus? Succedente alio Papa novum erit for-
san Breviarium expectandum.

Hoc est contra libertatem Ecclesie Gall., quæ si Romanæ in hac profes-
sione generali & maxima se submittat, quid restat, nisi quod etiam ex con-
sequenti sæpe submittet in reliqua omni politia? nam accessorium sequitur
principale?

Semper unaquæque Ecclesia & Provincia gavisa est suis ritibus, juxta
illud: Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Ecclesie pagorum sæpe non sequuntur ordinationem suæ cathedralis, &
Cathedrales sequerentur Breviarium Romanæ Ecclesie.

Avari & semper ambitiosi Romani sic rem suam facere provident ex im-
pressione, sicut videmus jam factum ex privilegiis multis ad hanc rem spe-
ctantibus. Et paulo post: Quid inde provenit, nisi Romanæ non dico religio-
nis, sed superbiæ & ambitionis auctio? non cedat crista Gallica Romano
supercilio: non enim hic de religione sed de superbia agitur. Ubi enim
minus, quam Romæ, Conciliorum Oecumenicorum decreta observantur,
Annon est hoc in cleris dominari magis, quam Ecclesiam ædificare? dixit
antiquitas, quod major est orbis urbe, hic vero urbs tentat orbem com-
plecti, & sibi subicere. Hic latet anguis in herba; Hoc suspecto maxi-
me, astuto & malo tempore. Vitentur ergo, qui mutant tempora & le-
ges: Dan. 8. Monet Christus Matth. 24., cum solum, qui ad finem perse-
veraverit, salvum fieri. Perseverantia autem non est obstinatio novitatis
profanæ, sed antiquitatis religiosa continuatio.

○ Hoc propositum refellit, non sine magno religionis detrimento consue-
tudines & traditiones ecclesiasticas, quod non potest fieri sine Catholicorum
scandalo, atque hæreticorum elatione, qui gloriabuntur, nostram talem im-
mutationem esse argumentum præcedentis erroris atque incitiæ in re-
ligionis catholicæ professione, idem concludendo de ejus persuasione &
doctrina. Talis ergo mutatio hoc maxime fieret tempore imprudenter at-
que periculosissime. Hic Episcopi in suis diocesisibus si intelligunt, quod
sunt, habent potestatem orationis modum constituendi, sicut Papa in Ro-
manæ.

mana diocesi & Ecclesia; (hoc enim sonat & significat vocabulum Pontifex, Hebr. *ḥ*. & *ḡ*. c.) alioqui fierent Papæ Capellani.

NB. Duo nota præcipue, Clerum Gallicanum loqui de Pontifice velut de Anti - Christo, allegantes etiam Daniel. 8. ejusque auctoritatem restringere ad terminos Dioceseos Romanæ, eandemque aliis Episcopis vindicare in suis territoriis.

§. XXI.

Quantopere Galli in Concilio Tridentino flagitarint, ut varii abusus & errores e Romana Ecclesia tollerentur, supra me dicere memini. Opportune autem ad manus meas venit liber Gallice scriptus & hoc tempore rarissimus: *Instructions & lettres des Roys tres Chrestiens & autres actes concernant le Concile de Trente, Autore de Puis seu Puteano, ut accepimus.* In quo cum alia, quæ ad historiam Concilii pertinent, memoriæ prodita reperio, tum præsertim dogmata illa, quorum reformationem Galli postulabant. Erant autem sequentes articuli: *de Communione sub utraque specie, de castibus Clericorum, de invocatione sanctorum, de cultu divino in lingua vernacula peragendo, de Missæ sacrificio &c.*

Ipsa Auctoris verba apponam, *Pag. 368. sequ.* petitiones Caroli IX. Galliarum Regis nomine factas ab illustrissimis oratoribus in Concilio Tridentino. *num. 17.* In missis parochialibus Evangelium aperte, & dilucide & pro populi captu copiose in suggestu exponatur: quo in loco, quæ præeunte Plebano a populo fiunt preces, lingua fiant vernacula: peracto autem sacrificio latine, & mysticis precibus lingua etiam vernacula publice ad Deum fiant orationes: eo autem tempore & aliis stans horis cantari poterunt pia & spiritualia cantica vel psalmi Davidici, prius ab Episcopo diligenter examinati, si id e re suæ Ecclesiæ esse censebit Episcopus.

18. Antiquum illud Leonis & Gelasii decretum de communionem sub utraque specie renovetur.